

Ad Dn.

# HIERONYMUM

HORN SCHUCHIUM, &c. De

felici operum & scriptorum excudendorum

Correctura & aliis ad impressionem eorum

spectantibus differen-

tem.

**C**ORRECTURA tibi, narrato Typographe, quantum  
Profit: dic quantum Bibliopola tibi?

Hac etenim si quis non castigatus oberrat

Fortè liber, vario sphalmate ubiq; scatens,

Illum nonne tuo piget impressisse labore?

Vel tu qui vendis, non pudet esse tuum?

ita. Quin igitur typica nunc arte docentem

Hic *Correcturam* percipe! nullus obest.

Non levis est cura hæc; levis haud labor. Hic quoq;

Quod, ceu *Corrector*, Naso poëta canit: (verū,

*Sæpe aliquod verbum cupiens mutare, relinquo:*

*Judicium vires destituuntq; meum.*

*Sæpe piget (quid enim dubitem tibi vera fateri?)*

*Corrigere, & longi ferre laboris onus.*

*Scribentem jubat ipse favor, minuitq; laborem:*

*Cumq; suo crescens pectore fervet opus.*

*Corrigere at res est tantò magis ardua, quantò*

*Magnus Aristarcho major Homerus erat.*

Ergò facis temet dignum, CORRECTOR amande,

Quiq; Machaonia es clarus in arte satis:

Quòd tu consignas, emendaturus hiulcum

Quid faciat scriptum, quam teneatq; viam.

Sic sic præstantes poterunt excudere libros

Multorum multi dexteriore modo;

Sic sic HORN SCHUCHI pressis tibi gratia libris

Plurima constabit. Vive valeq; diu.

*Sigismundus Sellius Meinungensis, Typo-*  
*graphia Beyeriana à Correctura.*